



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Vita Gregorii Papae V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

V I T A
G R E G O R I I P A P Æ V .

ANNO
CHRISTI
996.

Quando
pontifex
factus.

Gregorius
V. Bruno
antea di-
ctus.

Ioannes
XVI. pseu-
dopapa.

Ioannes
pseudopa-
pa membris
mutilatus,
asino impo-
nitur.

Gregorius
V. ius eli-
gendi Ro-
manorum
regem Ger-
manis solis
concedit.

GREGORIVS, qui Bruno nominabatur, natione Germanus, Ottonis imperatoris confanguineus, factus est pontifex anno Domini 996. antequam Otto Romam venisset. Hunc Brunonem nominatum fuisse ante pontificatum testantur Ditmarus & Rupertus abbas Tuitienfis. Crescentii studio & opera contra eum in schismate eleuatus est in thronum apostolicum Ioannes (quem XVI. nominant, & in numerum pontificum male referunt) natione Calaber, Placentinus episcopus. Sed cum Otto imperator ad vindicandam iniuriam pontifici per Crescentium illatam in Italiam venisset, Romam expugnasset, inuaforti sedis apostolicæ manus sacrilegas amputari, aures abscindi, atque oculos euelli præcepit. Cumque a tyrannide Crescentii (de quo Otto obruncatione capitis extremum supplicium sumpserat) Romani liberiores facti essent, post illam membrorum amputationem a sella imposuerunt, tenentemque alterius asini præeuntis tamquam rectoris caudam in manibus, compulerunt vt per publicam totius Urbis viam hæc caneret: Tale supplicium patitur qui Romanum papam de sua sede pellere nititur.

Hoc schismate sublato, Otto III. Romæ coronatus est imperator, postquam regnum Germaniæ duodecim annis obtinisset.

Hic pontifex patriam suam insigni aliqua dignitate ornare volens, præuio synodali iudicio Romæ constituit vt penes solos Germanos esset ius eligendi regem Romanorum, qui post diadema a Romano pontifice acceptum imperator & Augustus appellaretur. Idem Bonifacium Ottonis cognatum recens ad fidem Christi conuersum, & martyrio sancti Adelberti inflammatum, ad prædicandum gentibus munere apostolatus donatum misit in Russiam. Heriberto Colonienfi archiepiscopo pallium donauit, in numerum septem electorum, quibus eligendi imperatoris Romani potestas concessa fuit, eundem assumpsit. De-

functus est anno Christi 999. pridie Nonas Februarii, cum
sediſſet annos 2. meſes 8. dies 4.

ANNO
CHRISTI
996.

CONCILIVM ROMANVM,
QVO CONSTITVTVM FVIT VT IMPERATOR
deinceps a ſeptem electoribus Germaniæ principibus
eligatur. Habitu fuit anno Domini DCCCCXCVI.
tempore Gregorii papæ V.

NOTA.

^a *Concilium.*] Huius Concilii acta omnia interierunt; ob cauſam
tamen in titulo allegatam hoc tempore habitam fuiſſe euidenter ſatis
colligit reuerendiſſimus & illuſtriſſimus cardinalis Baronius ex quin-
que aſſertionibus. Quarum prima eſt: Res magni momenti non niſi
conſultis patribus & collectis epiſcopis in Synodo fieri conſueue-
runt. Hæc res quanti momenti ſit, indicat magna illa controuerſia
quæ hac de re inter catholicos & nouatores hæreticos iamdiu agi-
tata fuit: nos enim ius eligendi regem Romanum pontifici Romano
Gregorio V. vel X. acceptum ferimus; illi imperatori Ottoni, aut
Friderico idem acceptum referunt.

Habitu
fuiſſe hoc
Concilium
probat
quinque aſ-
ſertioni-
bus.
Prima aſ-
ſertio.

Secunda eiufdem aſſertio eſt hoc tempore Synodum Romæ cele-
bratam fuiſſe, idque probat ex vita ſancti Adelberti apud Surium his
verbis: *Post hæc facta eſt Synodus, & zelo iuris ductus Moguntinus ar-
chiepiſcopus antiquam cantilenam cantat, & epiſcopum ſanctum a quiete
monaſterii ad relictos greges reuocare inſtituit. Aſſenſit papa Gregorius,
& ſemel ſuſceptum gregem non poſſe impune cum dimittere ſcriptura ſen-
tentiaſ affirmat. Velit nolit vir Dei, eat, inquiunt epiſcopi ſedentes; aliter
vinculis neſtatur anathematis. At ille ſecretum petens, ad papam ait: Ho-
ſtis quieti mea inuidet, qui vos ſuo ſtimulo inſtigat, vt eo me redire compel-
latis, vbi animarum fructum non faciam, detrimenta autem capiam ani-
me mea immania: mitiga erumnam meam, defectui meo remedium ap-
pone, trifti reſſui meo da vel vnum ſolatum: ſi audiunt oves meæ quam
clamo vocem, viuens moriar cum eis: ſin minus, pietas tua mihi ſuccur-
rat, vt verba vite eis ſpernentibus cum licentia tua vadam ad exteræ
& incultas gentes quæ neſciunt nomen Domini. Acquieuit libens volun-
tati hominis Dei papa Gregorius, vt erat ſatis bonus, quantum permisit
vaga iuuentus. Reliquit ſanctus Adelbertus monaſterium non ſine ma-
gno planctu ſuo & fratrum, moleſte ferens ruptam quietem, ſed habens de
illo martyrio ſpem viuam, cuius in ſuo pectore ardebat longum deſiderium,
&c. Iſta tunc in Synodo. At huius quoque Concilii mentio habetur
in vita ſancti Burchardi Vvormatiensis epiſcopi, vbi pariter dici-
tur interfuiſſe eidem Concilio Franco tunc epiſcopus Vvormatiensis,
accepiffeque ab eo tunc abbatiam, cuius inueſtituram in eadem
Synodo recitatam tradit, eumque hoc anno eſſe deſunctum.*

Secunda
aſſertio.